



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Exempla, In Septem Capitalivm Vitiorm Detestationem,
Per Qvadragesimam, An. 1646. narrata**

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1649

§. 2. Historiæ author.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49161](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49161)

In terras delatus Apollo primùm incidit in duos vnà stantes, iisdem quidem vtrumque vitij affinem, sed in vno *Auaritia*, in altero *Inuidia* magis dominabatur. Hos comiter allocutus Apollo, eorumque morbos è votis & sermonibus tanquam in trutina deprehendens, copiam illis fecit liberè petendi, quod vellent; promissione addita, id quod vterque petisset, ratum se habiturum, ea tamen conditione ac lege, vt, quod sibi vnus petisset, alteri duplum præstaretur. Ibi inter vtrumque magna orta est contentio, vter petitionem faceret. Nolebat petere *Inuidus*, ne alter plus obtineret; nolebat *Auarus*, vt ipsi duplum obtingeret. diu ea lis tenuit; diu contentiosum inter sese fumen traxerunt. Denique pertinacior fuit *Auarus*, malitiosior *Inuidus*: nam quia nullo pacto induci potuit *Auarus*, quidquam sibi vt peteret ne minus peteret; *Inuidus*, ne alteri plus concederet, vnum erui sibi radicitus oculum petijt, vt *Auarus* ambos amitteret. Ita & ipse malum sibi creauit, & alterum damno multauit geminato.

II.
HISTO-
RIAE A-
THOR.

Ne quis hanc fabulam, supra verum, confictam esse existimet, hodie historiam dabo longè truculentiorē. Et historiam de mirabili-
bilibiori.

bilioribus vnam, ſatisque teſtatam. Auctor enim illius eſt oculatus teſtis Ludouicus Romanus in libro Hodæporico de Perſia cap. 2. & 3. qui iter ſuum inijt An. Chriſti 1503. vt ipſe indicat, lib. 1. de Arabia c. 1. in patriã redijt An. 1509. vt videre eſt in lib. 3. c. 42. & 44. Ob res in India bene geſtas, equeſtri eſt dignitate ornatus. vt ſcribit lib. 3. de India. c. 41. Editus eſt autem liber iſte Hodæporicus Auguſtæ Anno M. D. XVIII. Hic igitur Author, lib. de Perſia cap. 2. deſcribit inſignem eius regionis ciuitatem *Ormus* dictam, quæ magnitudine ambitus, multitudine populi, opum affluentia, pretioſa illa margaritarum piſcatione nobiliſſima eſt; in portu eius ſemper trecentæ & ampliùs variorum mercatorum naues reperiuntur, quæ illuc è varijs regnis appellunt. Soldanus autem huius vrbiſ & inſulæ eſt Machometanus.

Postquam locum deſcripſit Ludouicus iſte Romanus, cap. 3. teſtatur, talem, ſe inibi locorum verſante, & magnam partem ſpectante, tragœdiam incidiſſe. Soldanus multis titulis felix, valetudine admodum bona, viribus Hercules, diuitijs Crœſus, delitijs Sardana- palus poterat haberi; veſtitu autem gemmatus pauo. Accessit ſuper omnia vxor fœcunda;

L 2

da;

III.
SOLDANI
FELICI-
TAS, ET
INFELICI-
TAS A FI-
LIIS.